



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

Parisiis, 1644

Vita Alexandri Papae VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15644



VITA

ALEXANDRI PAPÆ VI.

ANNO
CHRISTI
1492.

ALEXANDER, Rodericus Borgia antea vocatus, Calisti papæ tertii ex sorore nepos. Hic cum Bononiæ ciuili & pontificio iuri operam dedisset, Romam a Calisto vocatus, admodum adolescens primum episcopus Valentinus, mox cardinalis & vicecancellarius creatus fuit. Pontificatum adeptus est tempore Maximiliani imperatoris, anno Domini 1492. III. Idus Augusti. Duo præclara illius ætatis lumina, Angelus Politianus, qui Senensium nomine orationem habuit, & Iason Maynus summæ existimationis iurisconsultus, statim post electionem missi sunt, ad obedientiæ & salutationis munus obeundum. Initium pontificatus a pietate desumpsit. Quosdam enim statim constituit, qui carceres assidue adirent & visitarent. Cardinalem ex sorore nepotem suum ablegauit Neapolim, vt Alphonsum II. Neapolis regem ex more coronaret. Cum Carolo octauo Francorum rege, qui regnum Neapolitanum armis repetiturus in Italiam venerat, fœdus iniit: verebatur enim ne vis illa externa quæ tanto impetu ferebatur, aliquid sibi mali portenderet. Cumque idem Carolus post Zizimum Turcarum regis fratrem abductum, regno potitus Neapolitano esset, Alexander rupto fœdere, cum aliis regibus & principibus contra eum conspirauit. Toto pontificatu tres & quadraginta cardinales creauit, e quibus duodeuiginti Hispani erant. Filium habuit Cæsarem Borgiam, quem ex episcopo cardinalem, & post ducem Valentinum creauit. Quas ille rapinas, cædes potentiorum, & euerfiones vrbium molitus fuerit, Iouius accurate describit. De quo hoc est memoratu dignissimum, quod cum in exitium opulentiorum cardinalium prandium instituisset, is qui pocula ministrabat, merum veneno medicatum per errorem patri filioque propinauerit, atque ita patri pontifici qui septuagesimum agebat annum, & venenum plenius hauferat, violentam mortem intulerit, anno Domini

1503.

P II P A P Æ I I I. V I T A. 65

1503. xv. Kalendas Septembris, cum sedisset annos vn-
decim & dies octo. Sepultus est in sacrario sancti Petri.



ANNO
CHRISTI
1503.

V I T A
P I I P A P Æ I I I.

PI V S III. antea Franciscus Piccolomineus appella-
tus, Pii II. ex sorore nepos, factus est pontifex x. Ka-
lendas Octobris, anno Christi redemptoris 1503. tempore
Maximiliani imperatoris. Cæsar dux Valentinus a morbo
illo quem ex sumptione veneni contraxerat, liberatus, co-
acto duodecim millium armatorum agmine, conclaue
quo patres ad futuri pontificis comitia habenda congre-
gati erant, obsederat: verum populi seditione, & Gallo-
rum atque Hispanorum intercessione, Vrbe excessit.
Cumque paulo post ad deosculandos noui pontificis pe-
des rediisset, Vrbsini illum armis adorti sunt, postque ma-
gnam cædem vtrunque commissam, Valentinus iussu pon-
tificis viuis in arcem Æliam perducitur. Ex sæuissimo
vlcere, quod non sine suspicione superilliti veneni crus
exederat, pontifex ætatis annum agens quartum & sexa-
gesimum interiit xv. Kalendas Nouembris, & sepultus est
prope auunculum in Vaticano, cum sedisset dies tantum
vigintifex.



ANNO
CHRISTI
1503.

V I T A
I V L I I P A P Æ I I.

IV L I V S, antea Iulianus de Ruuere nominatus, Sixti IV. Iulius quã-
do pontifex
factus.
lex fratre nepos, episcopus Carpentoraetensis, & car-
dinalis sancti Petri ad Vincula, contra Alexandri ponti-
ficis consilium defuncto Pio III. subrogatus est tertio Ka-
lendas Nouembris, anno Domini 1503. tempore Maximi-
liani imperatoris. Dixerat enim adhuc viuens Alexander,
ab eo esse cauendum, vt olim Sylla a male præcincto puero
Iulio Cæsare. Valentinum ducem, quem Pius custodiæ
mancipauerat, ea conditione dimisit, vt Cæsena & Fori
Liuii castra ecclesiæ redderet. Dimissus pro suo merito in
Concil. Tom. 34.

I